wmptm 1897

Ministerstwo Nauki i Szkolnictwa Wyższego

Dyplom nadania profesorowi Czesławowi Olechowi, „Mężowi Wybitnemu i Szacownemu", tytułu Akademika Pontyfikalnego w uznaniu jego „doskonałości w naukach arytmetycznych" dnia 9 czerwca 1986 r., w ósmym roku obecnego pontyfikatu, w pięćdziesięciolecie powołania Papieskiej Akademii Nauk przez Piusa XI.

IOANNES PAVLVS PP. II

Illustris et Honorabilis Vir,

salutem et prosperitatem

Quinquaginta iam hos ipsos annos Decessoris Nostri Pii Undecimi provida quidem sententia voluntateque felici et studioso aliorum pariter Pontificum Romanorum favore exstat Vaticana in Civitate ac laudabiliter operatur "Pontificia Scientiarum Academia", sodalibus videlicet exornata universo de orbe insignius sua singillatim in disciplina naturali arteve humana praestantibus. Nec ab inito pontificatu Nostro minoris sane Nostra interfuit plures huius modi doctrinarum cultores meritis operum suorum et studiorum fructibus eminentes in praestabile idem adsciscere rite collegium, ut manifestum sic ab Ecclesia Catholica recipiant tam egregiae testimoniium aestimationis quam congruae incitamentum laudationis. Cum autem laeti Nos iam pridem perceperimus praedicatam et undique comprobatam excellentiam tuam, Illustris et Honorabilis Vir, in arithmeticorum scientia, ideo maxime profecto Nobis placet hisce te Litteris Apostolicis Nostraque auctoritate ultro cooptare in Pontificiam Scientiarum Academiam, quem propterea Academicum Pontificium nunc ipsum edicimus ac renuntiamus. Tibi hinc insuper cuncta et singula iura honores munera deferimus quae tum Pii Papae Undecimi Litteris Apostolicis motu proprio datis die XXVIII mensis Octobris anno MCMXXXVI tum Pii Papae Duodecimi Litteris Apostolicis sub Anulo Piscatoris expeditis die XXV mensis Novembris anno MCMXL constituta sunt. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die IX mensis Iunii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

Illustri et Honorabili Viro
Ceslao Olech
Professori

+ A. Card. Casaroli